



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Isagoge Ad Amorem Divinvm

**Pennequin, Pierre**

**Antverpiae, 1661**

12. Ab exacta ratione reddenda in Dei iudicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

41.  
Et Fide.

ligiosii, ut illum ad murmurandum exhortaret; à S. Martino in humeris Brixij, ut ad ingerenda probra animaret. Linguam uxoris Job, & Tobiaë S. Chrysof. Dæmonis organum appellat, qua ad infringendam maritorum patientiam Dæmon usus est. Contra quem meritò nos monet Apostolus uterque Petrus & Paulus; ut fide velut scuto armati procedamus ad præliū, de victoria certi, si fiducia in Deum & oratio, constantiaque non desint: quibus dum contra illum S. Brigitam armat Christus, ira loquitur: nunquid dixi tibi, quod diabolus sine permissione mea, non plus facere potest, quam stramen ante pedes tuos.

12. *Stimulus, ab exactatione reddenda in Dei judicio.*

42.  
12. Iudicium particulare subeundū.

Sunt homines meticulosi, qui in hanc de judicio particulari, ejusque rigore & extremā severitate cogitationem nolunt descendere; contra morem Prophetæ & S. Bernardi cum eo cōspirantem sententiam, qui dicit: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi, Domine.*

43.  
Efficax est motivum ad vitæ emendationem.

Refugiebat hanc divini judicij cogitationem vir nobilis, qui apud S. Dominicum flagitiose

vita peccata depoluerat, & ut pro peccatis inter alia quotidie in illius tribunalis supremi cogitatione decem salutationes Angelicas percurreret, quavis renitens, acceperat, quod dum facit, in alium virum mutatus vitam cum morum integritate conjunctam ad mortem usque traduxit.

Placet Deo dici istius recordatio. Enoch, teste Judâ Apostolo, ab initio mundi illius memoriam hominibus excitavit. Angeli Apostolos oculis in cælum in Christi Ascensione defixis in eodem hærentes vestigio; ad hujus dici considerationem revocant: Præcursor Christi prædicationem ab illo auspiciatur: Christus ipse in parabolis de talento, de decem Virginibus; & alias sæpius torpescerent animos hac velut tubâ ad vigilandum existimulat.

Sanctorum plurimi hoc velut tonitru ad animum formidolosæ cogitationibus in officio continendum usi sunt. S. Hieronymus Epist. ad Florentiam: Ego, inquit cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus, ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem: tatumdem alterum lumen Ecclesiæ S. Augustinus exclamat. Væ mihi misero, inquit, cum venerit dies judicij & aperti fuerint libri conscientiarum: cum dicatur de me: *Ecce homo, & opera ejus: Ecce nihil*

Deo placet ejus memoria.

44.  
Quam fovenerint SS. Patres. Epist. S. Hieronymi.

Augustin. l. 3. medi. c. 39.

hil respondere potero, sed demisso capite, præ confusione coram te stabo trepidus & confusus.

Bernardus *Serm. 16. in Cant.* Profitetur & S. Bernardus ad tanti severitatem tribunalis cor sibi contremiscere: Paveo, inquit, gehennam, paveo Judicis vultum ipsis etiam tremendum Angelicis potestatibus. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum.

45. Anselmus *ad eam se excitavit.* S. Anselmus in Meditationibus seipsum ad vigilantiam nosque omnes exstimulans; Quid dormitas, inquit, anima tepida, & digna evomi? quisquis non expergescitur, imò non tremit ad tantum tonitruum; non dormit, sed mortuus est. Sed beatum Ephrem

*L. de timore anima.* audiamus mira de seipso narrantem: cum enim quadam die sæculi vanitates, & mortalium in iis consecrandis vāsaniam mente

contemplaretur, Dominum in sublimi folio confidentem videre sibi visus est, & simul audire hæc verba de sonantē: O anima, quare mihi seipò non deservis? cur tantā cum negligentia orationes tuas peragis? quare ad meum rigorosum judicium te melius non disponis? quare tot gratis, quas tibi contuli, & quotidie confero, diligentius non respondes? Ego tui causa mortuus sum, ut te mihi sponsam facerem; aliaque beneficia illi repræsentavit, osten-

ditque tantā in luce, quam omni sit dignus obsequio, & quanta sit ingrati animi nota tantum benefactorem vel in minimis offendere; ut dicat se præ timore, & confusione defecisse, & dixisse: Venite montes, & me peccatorem impium cooperite. Ecce quomodo vir sanctus, & tota Ecclesia dum viveret, ab insignis sanctimonie, opinione celebris, ut ait S. Hieronymus, hujus judicij recordatione percellitur, non quasi transeursum & obiter; sed, ut ait Gregorius Nyssenus, tam continuo, ut nulla dici, noctisque pars, nullumque prætervolaret momentum, is quo non vigiles ejus oculi lachrymis conspicerentur perfusi.

Et ne hunc sanctum virum, *L. vita e. 40.* quasi per quandam perterriti animi hyperbolem hæc omnia dixisse arbitremur; audiamus quid de seipsa dicat S. Theresia; Christum Judicem in pulcherrimā luce se dedisse illi spectabilem, & in eadem sibi ostendisse quædam venialia peccata, ex quorum aspectu tanto pudore confusa sit, ut horribiles inferorum pœnas ista confusione sibi tolerabiliores esse viderentur, seque pudore cooperitam undequaque, quæsisse, quo se absconderet: unde infert: Si tantilla lux tanto animum stupore consternavit, quid futurum est in die judicij, quando se clarè ostendet

det illa Majestas, & sceditatem  
admissorum peccatorum in aper-  
tâ luce contemplabimur.

13. *Stimulus: pœna, quæ  
tepidis impendit.*

46.  
13. Pœna  
parata.  
Sunt Deo  
odiosi.  
Apc. c. 3.

**I**ngens supplicium existiman-  
dum est Dei odium, quod tepi-  
dus incurrit: odimus quod vom-  
itu ejicimus, & cineribus, aut  
pulvere coopertum auferri præ-  
cipimus. Tepidum verò à se tan-  
quam rem exosam vomendum  
minatur Deus; dum Laodicensi  
Episcopo hoc vitio laboranti, per  
Epistolam minacem, dicit: Scio  
opera tua, quia neque frigidus, es  
neque calidus, sed quia tepidus es,  
incipiam te evomere ex ore meo.  
Hinc S. Bernardus: Vereor, ait, ne  
te tepidum & nauseam provocan-  
tem evomat ex ore suo, qui te  
cupit invenire, aut sui considera-  
tionè calidum charitatis igne fla-  
grantem, aut tui consideratione  
frigidum, & aquâ compunctio-  
nis ignita diaboli jacula restin-  
guentem: dicit enim Christus:  
Utinam calidus, aut frigidus esses:  
unde infert idem Sanctus, debe-  
re te vel esse virum desiderio-  
rum cum Daniele, aut dolorum  
& scientem infirmitatem cum Jo-  
bo, aut contemplationis igne suc-  
cendi cum Maria ad pedes Chri-  
sti, aut cum Lazaro abdi in sepul-

chro, & in amaritudine animæ re-  
cogitare cum lachrymis annos  
præteritos vitæ tuæ.

Qualem te paraveris Deo, ta-  
lis oportet appareat tibi Deus,  
ait idem Sanctus; vigilas tu, vigilat  
& ipse, Cujus rei exemplum lucu-  
lentum habemus in Sponsâ Can-  
ticorum 4. quæ cum Sponso ad-  
surgendum invitanti, nescio qui-  
bus exultationibus pigritiam suâ  
obvelans, januam non aperuif-  
set, ac continuo pœnitentiâ du-  
cta, sponsum, qui moræ impatiens  
jam abierat, per vicos plateasque  
quæreret, malo suo experta est,  
quanta damna vel exigua negli-  
gentia secum trahat: pessulum  
enim, quo sponsum ab ingressu  
prohibebatur, modicam pigritiam  
significare existimat Richardus à  
S. Victore; ac sicut magna janua  
exiguo pessulo claudi potest; ita  
sæpè contingere, ut parvæ negli-  
gentiæ magna gratiarum celestium  
fluenta sistant: spes aliquid ob-  
tinendi, laborem socium desi-  
derat.

Hinc S. Augustinus duas alas,  
Credere, & bene agere, spei Chri-  
stianæ adjungit. Non est satis ad  
speranda felicitatis æternæ præ-  
mia, si credas, & mali nihil agas;  
sed strenuè præceptis Dei im-  
plendis laborandum est. Virgi-  
nes fatuæ regno excluduntur,  
quia providere sibi de oleo per  
socioriam omiserunt: & feralis  
Tttt illa

47.  
Expertâ id  
Sponsa.  
Cant. 4.

31.  
Dux alas  
spei sunt  
credere &  
bene age-  
re.

Præfat. in  
Psal. 37.